



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

5. Quinam eligere vel eligi prohibeantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

Major pars est, ubi est major eligentium numerus: sanior vero pars spectatur ex auctoritate & zelo eligentium, atque electi meritis. Hinc si in Ecclesia Cathedrali sint octodecim Canonici, & duodecim Titulum elegerint, sex Sempronium, qui tamen sint sanioris iudicii, neutra electio subsistet, quia in utraque alterum desideratur, *e. Ecclesia vestra 57. h. 1. nisi numerus eligentium alterius partis alteram in duplum excefferit: nam eo casu nulla habebitur ratio illius partis, licet sanioris; nisi quod ipsi maneat saluum jus expugnandi aliorum vota ex alio capite, veluti quia sint excommunicati majori excommunicatione, suspensi per sententiam ab officio, irregulares, e. Si quando & ibi Glof. eod. in 6. non quidem, ut minuunt seu attenuent aliorum vota, sed ut ea reddant nulla, Glof. ibid. Quod si vero major pars scienter indignum elegerit, valet electio de digno à minori parte, etiam ex eodem scrutinio facta, e. Dudum 22. Congregato 53. hoc tit.*

4. Per compromissum fit electio, quando ij, quorum est eligere, compromittunt in unum, *cap. Si compromissarius hoc t. in 6. cap. Post translationem inf. Derenuntiat. vel plures idoneos. d. e. Si compromissarius & ibi Glof. in V. translatum, 2. Cum in veteri 52. h. 1. eiusdem vel alterius collegii, qui vice omnium eligant & Ecclesie viduata provideant de Pastore. Atque in eum, quem illi elegerint, omnes consentire, & si idoneus sit, recipere teneatur, *d. e. Quia propter juncto e. Causam qua 8. & alijs h. 1. nisi appareat contra formam compromissi electum esse, e. Cum electus 32. eod. Dixi, in unum vel plures; quia sufficit in unum compromittere, d. e. Si compromissarius eod. in 6. Imò subinde expedit, ob hominum ad dissentendum naturalem facilitatem. Tametsi autem in alijs Collegii negotiis explicandis sufficiat consensus maioris partis: tamen in compromittendo omnium consensus exigitur; adeo ut unius dissensus compromissum impediatur, *d. e. Quia propter, ibi: qui vice omnium, & ibi Panormit. quia interest singulorum, ne priventur voce sua. Deinde cum compromissum sit voluntarium, recipi ab omnibus debet, iuxta e. Quod omnes De reg. juris in 6. Neque tenentur compromissarii servare aliquam formam in electione per eos faciendam, arg. d. e. Quia propter ibi, vel saltem & ibi Abbas;***

quia forma compromissi est subsidiaria. Quod si compromissum simul concurrat cum scrutinio, & permixtum exerceatur, veluti si compromittatur, ut compromissarii, sive unus sive plures, secreto & sigillatim vota exquirant, illumque eligant, in quem major & sanior pars Collegij consenserit, tunc ea, quæ in scrutinio necessarid observanda sunt, etiam in hac specie adhibenda erunt, *e. Cum dilectus 32. & e. vers. Verum B. h. 1. Si cui 24. Cum expediat 29. eod. in 6. Facta vero electione, electores in præjudicium electi compromittere non possunt.*

5. Per quasi inspirationem divinam, seu viam Spiritus sancti, dicitur fieri electio, quando ab omnibus unanimiter, & veluti conspirante consensu, quasi per inspirationem divinam, unus eligitur sine vitio, *d. e. Quia propter.*

6. Et si autem non desint, qui velint hanc formam electionis, ab Innocentio præscriptam, etiam in alijs Episcopo inferioribus Prælatiis servari debere, verius tamen est contrarium, cum id jure cautum non sit, præterquam in Prælatiis Ecclesiarum Regularium: ad quas eadem forma rectè produciatur ex Innocentio in *d. e. Quia propter in V. Ecclesia viduata. Verum hanc controversiam quoad Regulares sustulit nobis Conc. Triid Sess. 25. c. 6. De Regularibus: ubi & de electione Abbatissæ aut Priorissæ, aut cujusvis alterius nominis Præfectæ seu Præpositæ vide plenius.*

## § V.

Quinam eligere vel eligi prohibeantur.

1. Eligendi jus non habent laici, impuberes, &c.
2. Non potest quis seipsum eligere aut presentare.
3. Enumerantur, qui eligi non possint.

1. IN primis jus eligendi non cadit in Laicum ne quidem ex consuetudine vel præscriptione, *e. Messana 36. h. 1. Et ideo ad clamorem populi facta electio non debet per superiorem confirmari, e. Osus 2. eod. quamvis patroni circa electionem jam factam merito postuletur assensus, e. Cum terra 14. in fin. eod. tit. Alioquin ac quidem per compositionem, cum Prælato*



& Capitulo factam, potest ei jus eligendi competere in collegiata Ecclesia, *c. Sacrosancta* 51 *cod.*

Item impuberes jus eligendi non habent, nec sacris ordinibus non initiati; ut neque suspensi ab homini, seu per sententiam Judicis secus de suspensis per Canonem, non excommunicati majori excommunicatione: non irregulares de quibus in *c. Is cui Desent. excommunicat.* in 6. Dependet enim jus dandi suffragii ab ordine & beneficio Felin: ad *c. Apostolica* sub n. 16. *vers. Dum autem dicitur inf. De excepte.*

2. Non potest etiam quis se ipsum eligere, *c. fin. sup. De consuet.* sicut nec presentare, quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio: Nec obstat, *c. Cum jure* 33. *h. t.* ubi si ex compromissatis tres eligant quartum, quartus electus consentiendo electioni de se factæ, a media parte eligentium auget numerum, & electionem perficit; quia id obtinet quando proceditur per modum compromissi, secus, dum per modum scrutinii vel quasi inspirationis diviniæ.

Similiter non omnes eligi possunt: ut in primis Laici, *can. 1. Dist. 61.* nisi ex causa, *can. Statuimus* §. 1. *d. Distinct.* non excommunicati majori vel minori excommunicatione: non suspensi, *c. per inquisitionem* 26. *h. t.* & *c. Cum dilectus* 8. *sup. D. consuetudine.* non interditi, vel impedimento aut vitio corporis effecti, quo nequeant ministerio inservire: reprehensibilis: non curialis: non neophytus in fide, id est qui nuper fidem Christianam amplexus est, ne in superbiam erigatur: qui non morbo contagioso vel incurabili laborat: non irregularis: non scismaticus, etiamsi ad unionem Ecclesie sit reversus: licet ex dispensatione possit confirmari. *c. Quia diligentia* 5. *h. t.* Non Simoniacus, publicus alearor, sacrilegus, usurarius: non illegitimus; talemque eligentes, nisi probaverint se ignorantes elegisse, incidunt in poenas Concilii Lateranensis, *c. Innocentius* 20. *h. t.* Non denique alio aliquo crimine notatus ex ijs, quæ enumerantur in *can. Qui in aliquo Distinct.* 51. Licet autem in Abbatem vel Priorem Regularem eligi nequeat novitius, non professus Regulam, *can. Presbyteros* xvi. *q. 1. c. Cum causam* 27. & *c. Cum in Magistratum* 49. *h. t.* in Episcopum tamen elegi potest. *c. Nullus*

28. *h. t. in 6.* In prælatum vero Regularem non potest eligi non Monachus, *c. Cum ad nostram* 37. *h. t.* sicut nec in Abbatem non instructus in Regula Monachali, Officii 38. *h. t.* Habens etiam plures dignitates vel beneficia curata, sine dispensatione eligi potest, *c. Dudum* 54. *h. t.* Quod si vero electi alterius cassata fuerit, non vitio personæ, sed electionis modo, iterum eligi potest: secus si vitio personæ, *c. super eo* 12. *h. t.*

## §. VI.

Qualis debeat esse seu eligi Episcopus.

1. Debet in primis esse iusta ætatis, probata vita & scientia.
2. Quanam requiratur scientia.
3. Pœna eligentium indignum.

1. **E**ligendus in Episcopum debet esse legitime natus, tricesimum annum ætatis excessisse, probatæ vitæ & scientiæ, *c. Cum in cunctis* 7. & *c. Innocentius* 20. *h. t.* & aliis qualitatibus præditus, quia juxta sacros canones, *can. Qui Episcopus Dist. 23.* (ubi plurimæ referuntur) & Conc. Trid. decreta requiruntur, Conc. Trid. *Sess. 24. c. 1. De reform. & Sess. 7. c. 1. De reform.* ac insuper in ordine Subdiaconus, & quidem sex mensium spatium ante electionem, Conc. Trid. *d. Sess. 12. c. 2. De reform.* Vbi latius vide, quæ & quanta eligendo scientia requiratur, sicut & in *can. Qui Episcopus Dist. 23. can. Qui Ecclesiasticus* §. *ecce dist. 36. can. Omnes Dist. 38.* Debet autem in genere esse talis & tæ, ut muneris sibi injungendi necessitati satisfacere possit.

3. Debent vero electores, quantum in se est adniti, ut semper dignissimi eligantur, juxta communem sententiam, tam Theologorum quam Canonistarum, de qua vide Covar. *ad. reg. Peccatum* p. 2. §. 7. n. 4. nam alias totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si, quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 1.* Eligentes scienter indignum, pro prima vice sunt ipso jure privati potestate eligendi. *c. Cum Vintoniensis* 25. *h. t.* & ab Ecclesiasticis beneficiis obtentis in illa Ecclesia, ad quam fuit facta electio, per triennium suspensi. Nec possunt interim ad aliquam dignitatem in eadem Ecclesia, secus in alia, eligi vel assumi, *c. Cum in cunctis*